



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

89. Timothevs Episcopus malè ait, non posse se ijsdem Ordinandis eodem die conferre quatuor Minore, & Sudiaconatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

LXXXIX. *Timotheus Episcopus Germanie rogatus demisse, vt proximo Ordinationis tempore quibusdam Ordinandis simul ac eodem die Subdiaconatum & Quatuor Minores conferre dignaretur. Respondit fieri id non posse. Cui cum opponeretur contraria Germanie consuetudo, addidit, in sua Diocesi consuetudinem talem nunquam fuisse. Queritur, Vtrum Timotheus seclusa etiam Germanie consuetudine (cui accommodare se vtrique valuisset) Quatuor Minores & Subdiaconatum iisdem Ordinandis simul eodem die conferre potuisset?*

Videtur non potuisse. Ita Reginaldus in *praxi Tom. 2. L. 20. c. 5. n. 270. Layman L. 5. Tr. 9. c. 8. n. 7. & plures, quos citat & sequitur Sanchez L. 7. Consil. Moral. c. 1. Dub. 53. n. 2. Mouentur tum auctoritate s. 2. de eo, qui furtiue Ordines accepit, & Tridentini Sess. 23. c. 13. tum consuetudine Ecclesie talis vim legis obtinente.*

Resp. *Timotheum potuisse. Ita P. Vasquez in 3. part. D. Thome. tom. 3. D. 246. c. 52 n. 47. & 48. Gaspar Hurtadus de Sacram. Ordinis difficult. 23. Palao Tom. 4. Tr. 27. pun. 13. n. 5. & plures apud hos allegati. Ratio est, quia nullus extat textus juris Canonici id interdicens; solum enim duos Ordines sacros siue Maiores eodem die iisdem conferre prohibetur. Cum ergo sola interualla temporum seu interstitia in Ordinum Susceptione ser-*

uanda obstant, & hæc arbitrio Episcopi remittantur à Tridentino *sess. 23. c. 11.* nihil omnino vetat, quò minùs Timotheus abstrahendo etiam à consuetudine Germaniæ Minores Ordines & Subdiaconatum eodem die conferre iisdem possit, & ita sæpè factum esse in Hispania, testatur Palao *lo. cit.* & ait Vasquez, se aliquos vidisse Episcopos idipsum factitasse.

Ad 1. in contrarium dicimus cum cit. Doctoribus *in cit. cap. 2.* puniri solùm vt suspensum, qui susceptis Minoribus postea furtiuè & contra mandatum Episcopi Subdiaconatum eodem die accepit. Ex quo minimè sequitur, Episcopum non posse licitè conferre iisdem Ordines Minores & Subdiaconatum eodem die: aut sic ab eodem volente ordinatos suspendi. *Ad 2.* Tridentinum *sess. 23. c. 13. & c. dilectus, de tempore Ordinationis* loquitur solùm de duobus Ordinibus sacris, seu Majoribus. Ex quo iterum non sequitur, Minores & Subdiaconatum iisdem conferri eodem die non posse. *Ad 3.* Talem consuetudinem siue in Germania siue in alio regno non esse introductam, vt vim legis habeat, quod nominatim testatur P. Præpositus *in 3. part. quest. vni. de Sacram. Ordinis. dubit. 15. n. 151.*

XC. Timoleon Princeps secularis & Catholicus in ditioe sua Clericos in Minoribus constitutos prorsus æquiparat Laicis in rebus ac nego-